

NONNVLLAS
SACRI CODICIS
EDITIONES

84
16

QVAE IN
BIBLIOTHECA PVBLICA
GYMNASII ELBINGENSIS
EXSTANT

RECENSET

CVM

AD ANNVAM
LEGVM SCHOLASTICARVM
REPETITIONEM

D. XI. SEPT. A. C. MDCCLV.

SOLEMNI RITV

INSTITVENDAM

PERMAGNIFICOS ET AMPLISSIMOS

Dubit. do 547
PATRIAE PATRES

IVXTA CVM RELIQVIS

CVIVSCVNQVE ORDINIS LOCI DIGNITATIS

MVSARVM PATRONOS
ET FAVTORES

QVO DECET OBSERVANTIAE CVLTV

HVMILLIME INVITARET

IOANNES LANGIVS

RECT. P. P. ET BIBL.

ELBINGAE, STANNO NOHRMANNIANO.

Vol. 8. 11. 4698



Praestantiora inter scientiae promovendae adminicula utilissimam praeter & frequentem cum viris doctis conversationem, qua MORHOFIVS a) ad informationem nihil commodius esse fatetur, instructissimas insimul eruditionis omnigenae officinas, b) Bibliothecas tam publicas quam privatas, haud ultimum occupare locum, vel optimi omnium saeculorum testantur eruditi. c) Quem enim fugit, nullam tam sterilem tamque jejunam doctrinae dari partem, ut solida ejus tractatio non aliquem subsidiorum in ejusmodi supellectile literaria invenire possit apparatus, ex cuius usu quotidiano ulteriores studiis accessiones facere & novas ex his veluti horreis colligere valemus ingeniorum

A

messes.

a) in *Polybist. liter.* L. I. c. XV. §. 47. p. 180. edit. *Lubec.* 1708.

b) quo nomine JAC. PHIL. THOMASIVS in *script. de Bibliotheca Veneta* exornavit Bibliothecas.

c) conf. MORHOFIVS l. c. L. I. c. III. p. 22. sequ.

messes. Sicuti hinc OVERBECKIVS d) Bibliothecam artium quamdam ac studiorum magistram & omnis eruditionis praeceptricem nominat: ita eodem teste e) DANIEL HEINSIVS, illam totius quasi sapientiae armamentarium & domicilium, eruditionis sedem, securissimum literarum sacrarium, magnarum animarum prytaneum & quasi capitolium aeternitatis esse, gloriatur. Quocum CHRISTOPH. utique COLERVS, cui cum OVERBECKIO hoc HEINSII encomium, in laudem Bibliothecarum prolatum debemus, apprime consentit, dum alia inter egregia & lectu dignissima ita scribit: f) hic (in Bibliotheca sc.) habitant divinae & humanae sapientiae magistri, generis humani praeceptores, omnium scientiarum mystagogi, custodes temporum, rerum & personarum, veritatis assertores, mortui consiliarii, populorum legati & interpretes.

Quae vero omnium rerum ut & divinarum ac humanarum scientiarum est natura, ut a primis incunabulis non nisi successu temporis ad eam, quam tandem adipiscuntur, assurgant magnitudinem: eadem & Bibliothecarum erigendarum ac constituendarum semper fuit conditio. Ex vilissimis enim & tenuibus saepe initiis haud contemnendam & numerosam exortam fuisse librorum suppellectilem, vel publica Gymnasia Elbingensis, ut reliquas silentii peplo involvamus, nos docet Bibliotheca. g) Cujus curae obeundae dum ab anno saeculi hujus jam

d) in oratione, quam cum duabus aliis quondam habitis Lubecae edidit, 1745. p. 114. &c.

e) l. c. p. 116.

f) in orat. auspicali, qua Biblioth. Mario-Magdalenam apud Wratislavienses aperuit, p. 35.

g) vid. b. G. D. SEYLERI, Gymn. Elb. quondam Rectoris meritis & eruditione longe

jam quadragesimo sexto rationem humeris meis impositam esse, laetus memini, spe lactor firmissima, fore ut illud vel ex variis Bibliorum, quae in eadem continentur, editionibus recensendis dijudicandisque, quam facillime demonstrarem.

Dices quidem: habeo, quos legam, Sacri Codicis Scriptores non minus disertos, eruditos, acres & perutiles, KORTHOLOTVM, h) FABRICIVM, i) ZELTNERVM, k) BOERNERVVM, l) KNOCHIVM, m) & permultos alios, quos BYDDEVS ordine refert, n) qui hunc laborem, hocque studium tanti fecere, ut in adornandis Bibliorum recensionebus multum operarum multumque temporis adhibuerint. Etiam: sed quemadmodum unius rei, ut vulgo dicitur, plures esse solent fines: ita scias utique, non eum modo laboris praesentis scopum, eumque finem esse, ut illorum studium, qui in evolvendis perscrutandisque antiquis & rarioribus Bibliorum editionibus occupati sunt toti, adjuvemus: sed ut & sciendi cupidos, quae ex editionibus Sacri Codicis in Bibliotheca nostra publica adsunt, quaeque adhuc desiderantur, doceamus;

A 2

longe dudum lateque Celeberrimi *diatyposis Bibl. Elbing. Publicae*, ut & Clarissimi DN. Prof. P. Collegae ac Amici Colendissimi M. IAC. WOITII disp. *de incrementis studiorum per Polonos & Prussos.* c. III. §. 23. p. 69. &c.

- h) de variis S, S, editionibus.
- i) in *histor. Bibl.*
- k) de novis Bibliorum versionibus.
- l) in *Bibliotheca sacra IACOBI le LONG.*
- m) in *den historisch, critischen Nachrichten von der Braunschweigischen Bibel-sammlung.*
- n) in *Ussig. histor. absol. L. post. c. VIII.*

ceamus ; imo ut tandem , si quae forte in civium scriniis pulvere obrutae adhuc deprehendantur editiones rariores , antiquae & peritiles , illas meliori omnino conditione dignas , a squaloris & oblivionis vitio liberemus , & hac infimul via apparatus Bibliothecae patriae ornandi ac amplificandi , pariterque & augmento ejus atque gloriae deferviendi ansam praebeamus exoptatissimam.

Vt itaque a Sacri Codicis editionibus , in varias linguas translatis , initium capiamus , primum sane oculis se nostris commendant

BIBLIA POLYGLOTTA ANTWERPIENSIA

*VIII Vol. in fol. per CHRISTOPH. PLAN-
TINVM, 1569 - 1572 excusa.*

Haec felicissimis PHILIPPI II. Reg. Hisp. auspiciis & sumtibus charta augusta in lucem emissa , V. T. Hebraice , Chaldaice , Graece & Latine ; N. vero Graece , Syriace & Latine exhibent. Regio huic operi incudendo , FRANCISCO RAPHELENGIO & NICOLAO FABRICIO adjuvantibus , BEN. ARIAS MONTANVS & GUIDO FABRIC. BORDERIANVS tantum diligentiae tantumque studii impenderunt , ut Theologi praestantissimi & eruditione ac pietate conspicui illud semper in pretio & admiratione habuerint. Imo , sicuti teste MAICHELIO o) illa N. T. editio , quam ROB. STEPHANVS A. 1549 typis expressit , ob sequentia praefationis verba : o mirificam Regis nostri — — liberalitatem , a librariis plerumque , o mirificam ! dicta est : ita , quod magis mirandum , Cel. WALTONVS

o) in *introd. ad histor. liter. c. II. §. 22. p. 145.*

87

nvs refert, p) Biblia haec Antwerpensis a quibusdam orbis adeo miraculum esse appellata. Cui encomio satis thrafonico ipse forsan stravit viam ARIAS MONTANVS, horum editor & promotor Bibliorum. Quippe, ut legere est apud BOERNERVm, q) laudatus modo MONTANVS in oratione sua ad GREGORIVM XII. Pontif. Max. habita, in laudem hujus editionis sequentia addidisse dicitur nimis gloriundus: "quod ad operis hujus, integritatem "attinet, ego BEN. ARIAS offero Sanctitati Vestrae Biblia ipsa a "me a prima pagina ad ultimam usque diligenter — — "perfecta, — — tanta fide, ut non solum, si verbum ali- "quod depravatum deprehendatur, sed si vel unus apex aut "iota in illis merito desideretur, — — ipse perpetuam "ignorantiae & negligentiae notam subire velim., Interim non RICHARDVS modo SIMON r) in hoc opere Antwerpensi quaedam desideravit, & SELNECCERVS nonnulla in eodem cum falsis grano legenda esse observavit: s) sed quae inprimis circa pronomen הוה cum circulo Masorethico pro הוה Gen. III, 15. monenda sunt, ex REIMANNO t) fusius exponit KNOCHIVS. u) Sicuti vero vituperandae dicti hujus corruptionis auctorem GVIDONEM FABRICIVM fuisse constat: ita FRANC. RAPHELENGIVM A. 1584 illud

A 3

emen-

p) in *praef. ad Bibl. polygl. Londin. & proleg. IV.* p. 33.

q) in *IAC. le LONG Bibl. sacra, c. I.* p. 24.

r) in *catal. praecip. Cod. Sacri edit.* p. 516. &c. add. *BVDDEI Isag. theol.* p. 1474.

s) in *arc. M. Thom. Lips. sacris*, p. 49.

t) in *dem systematisch-critischen catal. seiner Biblioth.* p. 193.

u) in *den hist. crit. Nachrichten von der Braunschweig. Bibelsamml. I. B.* p. 12.

emendatum restituisse, legimus. w) Ipsa ergo loci hujus emendatio, Targumo, LXX, multisque Patribus, imo ipso HIERONYMO adstipulantibus, lectionem per הוּא instituendam vindicat ut ut veram & genuinam. Interea observandum est, haec Biblia polyglotta, quae locam per הוּא exponunt, ad libros pertinere rarissimos: x) quippe eadem mare iratum experta fuisse, docet SCHELHORNIVS. y) Et illa sunt, quae compta, elegantia atque integra Bibliotheca Gymn. nostri Publica ab A. 1606 possidet ex munificentia magni quondam Maecenatis, ANDREAE MORENBERGII de BAROTHOWITZ, Patricii Wratislaviensis & Consulis postea Elbingensis, qui & in quovis Tomo insignia Morenbergiana depingenda ac coloribus ornanda curavit. Qui vero plura de opere hocce vere regio legere cupit, adeat Clarissimos illos in orbe literario duumviros IO. CHR. WOLFIVM z) & IO. GOTTL. CARPZOVIVM. a)

Praeter ea prostant in Bibl. Gymn. Publ.

*BIBLIA POLYGLOTTA FRANCISCI
VATABLI,*

quae Hebraice, Graece & Latine duplici interpretatione, veteri altera, altera SANTIS PAGNINI nova, II. Vol. in fol. ex officina Commeliana

w) vid. die Nachrichten von einer Sächsischen Bibliothec. 1. St. p. 1.

x) vid. VOGTII *catal. libr. rariorum.* p. 92. 93.

y) in T. II. *amoenit.* p. 398.

z) in *Bibl. Hebr.* T. II. p. 341. &c.

a) in *Critica sacra.* p. 391.

meliana 1599 prodierunt, b) cui & N. T. Graeco-Latinum BEN-
 ARIAE MONTANI Hispalensis accedit. Piis ac eruditis VATABL
 annotationibus additi sunt, quos ille nonnunquam omisit, idio-
 tismi & verborum difficiliorum radices, omnibus cum editione
 Complutenfi diligenter collatis. Adhaec huic praemissus est
 Codici Sacro index testimoniorum, a Christo & Apostolis in N.
 T. ex V. citatorum, evidentissime exponens, promissiones, quae
 in Lege, Psalmis & Prophetis scribuntur, ad unam impletas esse
 omnes. Hunc Bibliorum Codicem, tribus adornatum linguis
 & eruditis illustratum annotationibus, juvandi boni publici stu-
 dio Bibliothecae Gymnasii dedit, donavitque A. 1606 Amplis-
 simus DN. GEORG. WIDER, Consul Reipubl. Elbingensis quondam
 Gravissimus.

His merito addimus ex Bibl. Publica

NOVVM TESTAMENTVM POLYGL.

studio & labore ELIAE HVTTERI

Norib. 1599. I. II. Vol. editum. c)

Quae editio vel sola versionum copia spectabilis, 12 idiomatica,
 apte invicem e regione versibus distinctis convenientia, sequenti
 ratione disposita exhibet:

Syriacum, Hebr. Graec. Latin. German. Bohemicum,
 Italicum, Hisp. Gallic. Angl. Danic. Polonicum.

Textus Syriacus literis Hebraicis, sed additis punctis exponi-
 tur:

b) conf. IAC. le LONG *Bibl. sacra ex edit. BOERNERI*, c. 1. p. 25.

c) vid. IAC. le LONG *l. c. c. 1. p. 55.* & KNOCHII *Braunschw. Bibelsamml.*
 1. B. p. 30.

tur: versio autem Latina ex vulgata editione, Germanica ex editione LVTHERI, Hispanica ex CASSIODORI de REYNA translatione est petita. Quod vero ad Hebraicam N. T. versionem, HVTTERVS in praeloquio, alteri Tomo Germanice praemisso fatetur, se, dum illam apud neminem, nec in praestantissimis Bibliothecis invenit, totum N. T. in Ebraicam linguam primum solumque ac omni aliorum auxilio destitutum convertisse. Eadem vero in consignandis Hebraicis literis, qua in Bibliis V. T. usus est methodo: quippe literae radicales nigrae, serviles concavae & in medio albae, deficientes vero & quiescentes minori caractere in superiori ordine sunt adjectae. Ad haec epistolam Pauli ad Laodicenses scriptam, quam nusquam, nisi in Latino FABRI STAPVLENSIS commentario in N. T. & in IO. DIETENBERGERI Bibliis Germanicis Colonienfisibus ut & in Bohemicis, Pragae excusis, se invenisse fatetur, in 12 itidem linguas conversam addidit, eique inter illam ad Colossenses & eas inter, quas Paulus ad Thessalonicenses scripsit, in T. II. locum vindicavit. Promisit & aliam adhuc N. T. editionem, ex duodecim etiam constantem linguis, Arabica sc. Aethiopica, Russica, Turcica, Tartarica, Vngarica &c. quo ad numerum 24 literarum, DEI, magni illius A & Ω 24 itidem linguis exponere voluntatem laudesque canere posset. Quae res, Codicem HVTTERI Sacrum eo pretiorem reddit, efficitque, ut eo sparsius, eoque rarius in Bibliothecis inveniat. d) Illum, quem Bibl. Gymn. possidet N. T. Codicem Spectabilis urbis patriae civis ZACHARIAS RIEDT jam A. 1609 Musis benevole obtulit Drusiatis.

Re-

d) Qua ex causa IO. HENR. HOTTINGERVS in Biblioth. ario suo, p. 142. opus illud & rarius vocavit.

Reliqua, tametsi vellemus, addere non licet, ad aliud tempus illa mittentibus. Ad ea potius, quibus crastina destinata est panegyris, festinemus.

Instat anniversaria juventutis ad altiora nuper translocatae lustratio & solemnibus legum scholasticarum praelectio, ex more a Majoribus laudabiliter tradito repetenda. Qua festivitate quid civibus Seminarii utilius? quid Auditoribus gratius acceptiusque esse potest? Hos enim, Testes Gratiofissimos, ut cum PLINIO nostro loquamur, juvat, cum vident, vigere adhuc studia & proferre se ac ostentare per omnes Gymnasii classes ingenia hominum. Illis vero in praelegendis legibus, (si modo leges & non paternae potius adhortationes dicendae sunt,) via & cynosura praefertur egregia, ex indefesso pietatis non fucatae, eruditionis solidae, obedientiae, diligentiae & reverentiae filialis studio, in illis admodum commendato, uberrimos aliquando praestantissimosque colligendi fructus.

Cui solemnitati legali multum omnino jucunditatis, multumque addet ornamentum VIR PRAECLARISSIMVS DOCTISSIMVSQUE DN. IOA. DAN. HOFFMANN, GYM. CONR. P. P. O. COLLEGA ET AMICVS NOSTER multis nominibus HONORANDVS, dum Ipsius ductu & auspicio ex coetu scholastico illi, quorum nomina elenchus exhibet adpositus, de Prussia varia belli fortuna jactata sub imperio CASIMIRI III. Regis Poloniae facient verba.

Ad quod sacrum solemne rite obeundum VIROS PERILLVSTREM, PERMAGNIFICOS, GENEROSOS, AMPLISSIMOS, CONSVLTISSIMOSQUE VRBIS PROCERES, DN. DN. BVGGRABIVM REGIVM, SENATVS PRAESIDEM, PRAECONSVLES,
B CON-

CONSVLES, PATRONOS, atque MAECENATES;
ut & EXPERIENTISSIMOS, PL. REVEREN-
DOS, CLARISS. PRAENOBILES, NOBILES, SPE-
CTABILES, PRAESTANTISSIMOSque, omnes de-
nique ac singulos SPLENDIDOS & PRAESTANTES
Musarum FAVTORES, LITERATOS ac LITERA-
TORVM AMANTES, ea qua par est, observantia & pie-
tate invitamus, ut honorificentissima sua praesentia declarent,
se linguis adhuc animisque, quod olim dicebatur, favere legi-
bus, studiis, juventuti & Seminario Civitatis. P. P. Elbingae,
d. X. Sept. A. MDCCLV.

